



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

SS. Abdon & Sennem MM. 30. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

474 VITÆ SANCTORIUM. 30. *Julii.*
esse putaret Rex, qui mundum sic omnem fulminis instar pervaderet? Attila nihil humile spirans, *flagellum* Dei se esse respondet. Hic enimverò Antistes portas pandi omnes civitatis jubet & modestissimis verbis avere multum jubet *Dei flagellum*. Quid expectas? verba hæc ferocissimum & ultima minitatem animum deimulserunt, & *Lupus* tyrannum cicuravit. Cæterum huic verborum modestiæ vietus quoque ratio & vestitus responderunt. Et cibum quidem tertio primùm die sumpsit, Sabbato cibario pane contentus. Vestem quoque unicam gestavit, sed subdititiâ alterâ (cilicio) superbam. *Ex Surio & Nauclero.*

Ad Deum tuum refer flagellum tum:
quia nec Diabolus tibi aliquid faciet, nisi ille permittat, qui desuper habet potestatem, aut ad pœnam: aut ad disciplinam.
Ad pœnam impiis, ad disciplinam filiis.
Flagellat enim omnem filium quem recepit.
S. Aug. in Ps. 31.

SS. ABDON & SENNEN MM.
30. *Julii.*

Consebantur ABDON & SENNEN inter primos Persiæ purpuratos. Et verò nisi cunæ in patriâ, mors Romæ purpuram donasset. Nam quod Christiano principe non indignum officium arbitrarentur, Martyrum esse vespillones, sui-

30. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 475
suisque manibus terræ mandare horum
corpora gauderent, vinclatos Decius Ro-
mam adduxit. Ibi ad tyranni tribunal
steterunt auro gemmisque splendidi rei;
sed extinguebant harum lucem catenæ
ferreæ, quas nimium quantum gloriose
jastrabant. Itaque cum munera ingentia
promitteret tyrannus, si ad Deos transfi-
rent, risere scilicet, & ad omnia tor-
menta provocarunt. Plumbatis igitur
tentati, contrâ ferreos se præbuerunt.
Inde in theatro feris objecti; sed plausum
meruere & victa Martyribus colla leones
submisere, feræque cicures hominem
contra feros homines visæ defendere.
Reperti interim qui necem inferrent gla-
diatores. Sed & Martyres tales se pro-
barunt, cum jugulum fortiter gladio de-
derunt. Extincti triduum tumulo car-
nere, dum Cyrius plombeis loculis
clausum aurum defodit, quod iterum
deinde erutum est in lucem, cum Orbi
Christiano Sol suus Constantinus luxit.

Ex actis S. Laurentii.

Noli caduca & fugacia quæ tanquam
cera liquescunt, admirari. Vivant alii
cum Principibus familiariter; tu per ora-
tionem cum Deo versaris: tu unigeniti Fi-
lli Dei corpore vesceris; gaude & lætare te
dignum effectum esse, qui templum sit Dei.
S. Ephreim de vit. spirit.

S. G E R-